xisse nobis videmur, quibus diviniora deinceps superaddere non adeo fuerit difficile, positisque generalioribus, & ubique agnitis fundamentis, quæ frustra alibi hac serie, hacque amplitudine quæras, Theologiæ Studiosos ad exactiorem Theologiæ Moralis pædiam manuducere, & quæ *in natura* deficiunt, *è Gratiæ promtuario* supplere; quæ decipiunt aut nocent, profligare; quæ falsa sunt aut insufficientia, emendare. Vere enim, ut in doctrina *de Officio Hominis & Civis*, de principiis primum ac norma actionis humanæ agitur: sic in disciplina Officii Christiani de diviniore ejus principio, gratia: de lege divina: de vetere ac novo, externo internoque homine, carnis ac spiritus lucta: de Conscientia denique, & illius cum dictamine tum vulneribus erit dispiciendum. Ut in Universali Jurisprudentia ex *triplici*, quod ajunt, *Objecto* officia partimur: sic Paulum in Theologia morali rectissime imitabimur, qui zelum bonorum operum vita *pia, sobria, justa*, secundo *Epistolæ ad Titum* capite metitur; simulq; docebimur, vitam mortalium tum demum in his terris fore felicissimam, si Christum sequamur, ejusque præceptis, à Mose jam inculcatis, ipsiusq; Domini Nostri exemplo expressis, omni animi pietate obsecundemus. Deficientibus etiam Tractationis Synopticæ *de Jure Pœnarum* exemplaribus alteram ejusdem Editionem juxta cum *Collegio Pufendorfiano* adornavit Bibliopola, quæ justæ simul commentationis ad Libri II. Cap. XIII. vicem potest sustinere; & quoniam benevole à publico excepta fuit, non deteriorem apud Lectores cordatos